









1789.

1. Berolinus, Gott. Christianus : De lice hereditis cum possessore singulari.
2. Berolinus, Gott. Christianus : De negotiis, que a muliere sive curatore in sacra expatrii possunt.
3. Berolinus, Gott. Christianus : Voco, quod iustum est in prolegionum collidere
4. Berolinus, Gott. Christianus : De poeijario puerorum et abuso iuri feudalium Longobardicis
5. Berolinus, Gott. Christianus : De pacto successorio cum pacientis persona intercante
6. Berger, Christoph Henricus, de : Ordinis Turcomannorum Decanus : Et dissertationem . . . consti<sup>t</sup>uit  
Dr. Augusti Beckeri . . . initia<sup>t</sup>.
7. Berger, Christ. Henr., de : Ordinis iure Consul-  
torum Decanus : Et dissertationem inauguadem

- Dr. Christiani Dahlkoppfi - - invitat
8. Chardenius, Ioh. Georgius : De jure equestris  
in febris praesertim imperii specialium 1
9. Chardenius, Ioh. Georgius : De jure etiatis subjectorum  
speciationum in exercitu praestitoribus.
10. Cordes, Iohannes Georgius : De suspectis mathema-  
tum speciatione astronomia originalis.
11. Crelles, Christop. Ludv. : De sigillaribus Titis  
sacris.
12. Dickerich, Miss Gottlieb : De iteratis impera-  
torum coronationibus Germanicis
13. Heniccius, Christianus : Manuscriptus Iudicium  
LVI. ex institutionum Iuriniis praecincto  
et titulo de justitia et iure contractuum

- 13<sup>3</sup> Hanauer, Christian : Manipulus II therium LX.  
ex 6 instiutionum Iustiniani titulis de jure naturae  
genitium et cointeriorum.
- 13<sup>5</sup> Hanauer, Christian : Manipulus III therium  
LX. ex 5 institutionum Iustiniani titulis III. IV. V.  
VI. VII. VIII. LX etiam.
14. Hervius, Joh. Matthaeus : De pulchritudine architectu-  
raria.
15. Hervius, Joannes Gessner : De signis artibus humanitatis  
Satis
16. Kemmererius, Petrus Hermanni : De propagatione  
jurisdictionis
17. Kuerelius, Gottfr. Raibulus : De actionibus  
modicis et non modicis
- 16<sup>1</sup>. 6<sup>2</sup>.  
Kraunius, Johannes Gaspardus : Tocca, quod  
iustum est circa salario re honora et dñ.  
estatuum.

19. Kraunus. Dr. Gottfr.: De jure degradationis canonice ejusque usq; in locis protestatione

[19<sup>2</sup>] Berger Christoph Henr. de: Ordinis jure consultum . . . Decanus: ad dissertationem inaugualem . . . Dr. Christiani Stellkopffii . . . iuriat [Enden dablettet, da mit Nr. 7 identisch.]

20. Muelken, Gottfr. Ludv.: De potestorio possessorio mundum finito in Iesuia Electoralis mentitur sicut invenit

21<sup>st</sup> Schenckburgius, Joannes Gottfr.: De traditione symbolica 2. caput

22. Salmer, Frider. Phil.: Descriptio logicae ac mathesos nova et applicacione principiorum logionum in Disciplina mathematica.

23. Schneider, Ernest. Christ: Doctrina doctrinam universalium speciationis consideratarum.

24. Schmetter, Ernest. Christian: De veteri teste scripturarum.

Q<sup>B</sup> F<sup>F</sup> Q<sup>S</sup>  
DISSERTATIO CRITICA  
DE

**SIGILLARIBVS  
DITI SACRIS**

QVAM

PRAESIDE

**CHRISTOPH· LVDOV· CRELLIO**

I· V· D· ET POET· PROF· PVBL

IPSIS KL· OCTOBRIBVS & Icc XXVII

H· L· Q<sup>S</sup>

PVBLICE EXPENDENDAM

PROPONET

AUCTOR

**M· IOANNES GOTTFRID HOERIVS**

NAVMBVRG<sup>G</sup> MISN

ACAD<sup>G</sup> VITEMB<sup>G</sup> BIBL

VITEMBERGAE

EX OFFICINA GERDESIAE VIDVAE

1727  
41

DITI SACRIS  
SIGILLARIAS

CHRISTOPH. LUDOV. GRETTO

MATTHEIUS GOTTFRED. HOFMANN



CUSTODIBVS GUBERNATORIBVS QVE  
REIPVBL· NAVMBVRGENSIS

**CONSVLIBVS  
CAMERARIIS  
SENATORIBVS**

ΕΤΕΡΓΕΤΑΙΣ

PRIMIS IN ACADEMICA VITA MEA AVXILIATORIBVS

PRIMVM ACADEMICORVM PROFECTVVM SPECIMEN

CLIENTVM LEGE

MEMOR BENEFICII ACCEPTI

IOANNES GOTTFRID HOERIVS

SACRVM ESSE CVPIT

I, LIBER, IN PATRIAM, PATRIA MITISSIMA SEDE  
NUMINA CONSORVM LAETIOR HOSPES HAE.  
PRAEBE CERTA ANIMI GRATI MEMORISQUE SIGILLA,  
QVAE, NOSTI, MAGNIS PERPLACVISSE DIIS.  
DIC: AVTOR, VOBIS DEVOTVS, SI QVID AD ALBIM  
ADDIDICIT, VESTRVM MUNVS HABERE SOLET.  
IVVISTIS MISERVVM, QVI VOS VENERATVR, ADITQVE,  
VT BENE SIT VOBIS, NOCTE DIEQUE DEVUM  
SI TE CONSUS AMET, TANDEM MEMOR ESTO LOCORVM  
ET DESIDERII, GRATE LIBELLE, MEI.  
LEVCORIS EX ORIS NAVMBVRGICA PERGIS AD ARVA.  
O VTINAM POSSIM NVNC MEVS ESSE LIBER.

SACRAE ESSÆ CATTI



Q. B. V

**S**aepe multumque sigilla, et item sigillaria, commemorantur a scriptoribus, tam iis, qui sermonis elegancia praefstant, quam his, qui uel diuinae ueritatis defensione, uel peritia iuris, etiam atque etiam commendantur. **TULLIUS, TRANQUILLVS, SENECA, MARO, MARTIALIS**, plures, plura huius rei uestigia expressa reliquerunt. Nota sunt, quae ARNO-BIVS cum illis disputat, qui deos esse sigillaria ipsa censebant. Scimus, quam grauiter Neapolitanus ICtus, **ALEXANDER**, uirum doctum reprehendat, qui de sigillaribus non recte exposuit. Denique tanta illorum religio fuit, ut, horum dedicandorum caussa, saturnalium, celebratissimi per terrarum orbem sacri, tempus Romani in septem dies producent: tam frequens et varius usus, ut illis exponendis uendendisque sigillaria, uicum in urbe, assignarent. De quibus deinceps trademus. Animus est istud argumentum, quoad fieri poterit, persequi. Sigillaria, ad humanae pulchritudinis exemplum affabre concinata, primum Diti summa ceremonia consecrarent, ut capita et salutem redimerent: postea etiam hominibus, quibus comprobare officium uellent, in laetitiae usum atque ad sacri publici augendam religionem, dono dederunt.

A 2

Hinc

Hinc uisum est de utroque more sigillatim agere, et has  
commentationes in duas partes distribuere

CAP. I  
DE  
SIGILLARIBVS  
DITI CONSECRATIS

## I

Differenta-  
tionis fun-  
damentum **Q**uicquid hic dicendum est, id maxime nititur auctoritate VARRONIS, quem CICERO sacrorum iura, omnium diuinarum humanarumque rerum nomina, genera, officia, caussas aperuisse, plurimumque luminis attulisse poetis, iudicat. (a) Ille sigillarium, quae per saturnalia Romae consecrabantur, has origines tradidit: Pelasgi, sedibus suis puls, diuersas terras petierunt, plerique confluxerunt Dodonam, et incerti, quibus considerent locis, id responsum acceperunt, quod IO· MEVR-  
SII auctoritatem secutus, fide codicis veteris, ita recitabo

*Στείχετε μαύρονοι Σικελῶν Σατέργειον στάθμην  
πέρι Αἰθριγενέων Κοτύλην, ἐν ταῖς Θεόχαστας.*

*Οἴς ανδρικά θέντες δεκάτην εὐπεισψάτε φοῖβων, ΛΑΧΙΑ*

*καὶ κεφαλὰς ἄθη, καὶ τῷ πατρὶ πεμπτες φώτα. (b)*

*Ηοκ εῖτε*

*Abite, quaerentes Siculorum saturniam terram,*

*Atque Aboriginium caitatem, ubi insula factatur,*

*Quibus (Aboriginibus) immixti, decimam exhibete*

*Phoebo,*

*Et capita Diti, et Patri mittite lumina (uirum)*

*II. Caue-*

(a) Acad. Quæstion. lib. I, c. xii

(b) vid. MACROBIVS Saturnalior. I, c. vii ed. Londin.

c. lxxxviii, octau.

## II.

Cae*u*, haec ad saturnias lernas seu fabulas referas. Etsi enim certa et expedita non sunt, (talia enim fari est nefas) uero ramen simillima credit MACROBIUS, classi-  
cus testis et locupletissimus. Habes hic tria deorum no-  
mina: Φοῖθον, ἄδην, πατέρα. habes tria consecrationum  
genera: δεκάτην, κεφαλαῖς, Φῶτα. Attinet, sententiam  
horum uerborum aliquanto studiosius inuestigare, quia  
constat, ex falſa huius respōni interpretatione magnam  
calamitatem esse coortam. Nam Pelasgi, post diuturnum  
tristemque errorem, Latium appellunt, uident insulam, in  
Cutiliarum lacu natam, has sibi sedes, quas etiam salubritas  
aquea commendabat, (\*) uoce κατύλης praedictas esse cre-  
dunt. regionem occupant. Siciliam spoliant. Quo fa-  
cto, decimam praedae Apollini tribuunt. Diti facellum  
excitant, Saturno aram ponunt: isti dant humana capita,  
huic uiros uictimas, persuasi, hanc religionem Dodona-  
nacis monitis prorsus conuenire

## III.

Evidem, ut exinde ordiar, nihil dubito, apte Pe-  
lasgos DECIMAS consecrasse. Nam decimae partis consecra-  
tio plerarumque gentium moribus institutisque confirma-  
ta, Iudeis etiam a summo legislatore praefcripta est, ad  
cuius imitationem Graeci et Romani omnino multa ex-  
presserunt. Quum enim olim Leuitis, quibus sacrorum  
procuratio committebatur, ager assignatus non esset,  
DEVS decimas fortunarum partes populo imperauit, qui-  
bus et sacerdotum inopiam iuaret, et mutuam flamini-  
num ciuiumque benevolentiam uinculo quodam obfrin-  
geret. Tantum igitur abest, ut a decimis Numen abhor-  
ruerit, ut contra earum recte et diligenter ferendarum ritu  
suam gentem copiosissime informari. Ferri etiam in Pe-  
lasgis posset, quod decimam PRAEDEAE consecrauerint. Ne-

A 3

que

Consecra-  
bantur  
decimae  
Phocbo

(\*) de illa pluribus agit CHRISTOPH. CELLARIVS in Notit. Orbis  
Ant. T. I, lib. II, c. VIII, p. DCCLXXVIII

que enim suppeterat aliud quidquam, neque dubitare poterant, deos, a quibus sedes ipsis tributae, colonorum quoque opes concessae erant, inde aliquam sibi partem postulare. Ipse Abramus decimam praedae partem Melchisedec tradidit, si IO· SELDEN· fides est, qui in hanc sententiam *ἀνεργίαν*, a Paullo ad Hebreos c. VII, u. **III** nominata, interpretatur. (c) Habet denique excusationem, quod Pelasgi decimas largiti sunt PHOEBO. Huius enim nominis obtenuit solem adorarunt. Et credi potest, Aborigines, genus hominum agreste, (d) agri potissimum fruges reliquise, quas uirtuti solis debet in primis existimabant. At uituperatione non caret, quod, recti moris neficii, diuinum Phoebo honorem non sine sacrilegii quadam nota decreuerunt.

## III

In illo uehementer peccatum est, quod Diti capita, Saturno uiros, consecrarent. Sacrum illud nefas, illa cruentae religionis ceremonia ab omnibus fere gentibus probata est: in omnium fere deorum sacris quaedam illius uestigia extiterunt. AMETRIS, Xerxis uxor, ut gratiam diis referret, quod longius uixerat, **XIII** illustrium Persarum liberos sub terram uiuos defodit, atque ita uota exsoluit, quasi his imprecationibus immortales dii placarentur. (e) AEgypti rex, BVSIRIS, ne ab hospitibus quidem manum abstinuit, quos Loui immolabat. Cuius sceleteris LYCAONEM etiam, Arcadiae regem, PAVSANIAS accusat. f) Videntur huius immanitatis societatem cum AEgy-

c) in dissert. de Decimis, quam IO· CLERICVS Pentateucho suo subiecit

(d) Ita nominat illos C· CR· SALLVSTIVS, Coniur. Catil. c. II, qui etiam, quantum ad originem Romanorum attinet, cum MACROBIO consentit

(e) ALEXAND· Genial. Dier III, pag DCCCXVIII

(f) Lib. VIII, fol. CCXXXVII, edit. FRIDER· SYLBVRGII

Aegyptiis etiam **SAMNITES** iniisse, qui delectu habito, ut, qui non conuenisset ad imperatoris iussum, quique iniussi abiisset, illius caput sacratum Ioui esset, edixerunt. (g) Ipsi etiam **ROMANI** eius caput, qui tribunis nocuisset, Ioui sacram esse uoluerunt. (h) Aliae gentes Iunoni tres homines, Soli masculos, Lunae femellas, Baccho pueros subinde consecrarunt. (i) Dianae Tauricae etiam hospites deberi, accepimus. (l) **DECIVS** legiones hostium mactandas Telluri ac diis Manibus deuouebat. (l) Illae furiae gentes in primis in sacris Saturno Ditique faciendis agitantur. Saturno humanas carnes tanto magis acceptas credidere, quanto incontinentius uel suos filios deuorasse dicitur. Qua de re cum **MACROBIO** (m) disputare **GER· IO· VOSSIVS** habet. (n) Originem pestilentissimi erroris illam **ORTELIVS** (o) tradidit, quia Saturnum Graeci *κερόν* quasi *χρόνον* dixerunt. Tempus quum annos pariat, dieisque producat et consumat, Saturnus suam prolem, suos filios, deuorare uisus est. Primum illud sacram Tyrios Syrosque instituisse, non abhorret a uero. (p) Hinc ad Carthaginenses propagatum est, qui, quum inter cetera mala etiam pestilentia laborarent, scelere pro remedio usi sunt. Impuberis enim, quae aetas etiam hostibus miserationem mouet, aris admouerunt, Deorum pacem sanguine eorum exposcentes, pro quorum uita Deos precari maxime solent. (q) Ad Gallos etiam aliosque populos,

(g) **LIVIVS X, xxxviii**(h) **LIV III, LV**(i) **IOANN NICOLAI de Ritu Bacchanal. c.XX. apud GRONOV  
in Thef. T. VII, f. CCXVIII**(k) **HYGINVS Fab. CXX**(l) **LIVIVS X, xxviii**(m) **Saturn. I, c. VII**(n) **de Theolog. Gentili, Lib. II, cap. V, p. CCCXXX**(o) **in Deorum Dearumque Capitibus, Lib. I, fig. I. in GRONOV  
Thef. T. VII, f. (CCLXII)**(p) teste **PORPHYRIO** Lib. XI, quem allegat NICOLAI I. c.(q) **IVSTINVС Lib. XVIII, c. VI. Idem sua adhuc acetate fieri, con-  
queritur TERTULLIANVS in Apologet. c. VIII, f. DCLXXV**

pulos, qui ad occidentem incolunt, nefarii sacrificii contagio pertinuit, si CAESARI fides est. (r) Complures aliae gentes, Graeci, Romanique in primis, quin humanitatis sensu attingerentur, et Deorum sacra interpellari ducerent riefas, homines quidem, sed ex alio scelere suo damnatos ad mortem, Saturno et Diti consecrarent, atque in Saturnalia afferuarunt. RHODII certe ex illis, qui publicis suffragiis capitis supplicium subire iussi erant, unum ad Saturni sacrum detentum ipso festo die extra portas in locum, qui Aristobules delubro oppositus est, produxerunt, et uino bene confectum mastauerunt. (s) Idem CYPRIIS solenne quandam fuisse, PORPHYRIVS auctor est. (t) Neque Romanorum mores a foeda superstitione alieni fuerunt. Quo probro LACTANTIVS gentem recti moris cultusque in primis studiosam false rideat, et mirifice exagitat. (u) Videntur tamen Diti frequentius haec sacra, quam Saturno, fecisse, quia filium natu minimum patris, Saturni, similem esse crediderunt, et mortuorum animas eius imperio contineri existimarent. Adeo nullum ipsi festiuus spectaculum fore, quam si humano illum sanguine satiarent, uisum est. Quum ciuium praerogativa amplissima esse et maxime conspecta uellent, occidi Romanum noluerunt, nisi qui poenae seruus fuerit, uel Diti sacratus. Subit mirari, quid uenerit ipsis in mentem, ut, quum sacra omnia ab omni contrectatione aliorum uindicarent, neque uiolari sinerent, hominem, qui Diti sacer fuerit, impune occidi, eamque caedem capitalis noxae non haberi

(r) de Bello Gallico Lib. VI. c. XVI

(s) Petr. CASTELLANVS de Fefsis Graecorum, apud GRONOV T. VII. fol. DCLXXVIII. PORPHYRIVS Lib. XI. *περὶ αἴσθησιν ἐπιφέρουσαν*, citante MEVRSIO de Populis Atticae, in Theol. Gronou. T. IIII. f. DCCLX

(t) PORPHYR. lib. XI. citante DAN. CLASSENIO in Theol. Gent. c. IIII. n. II. apud GRONOV. T. VII. f. (CXXVII)

(u) de Fall. Relig. Lib. I. c. XXI

beri uoluerint? (x) Scilicet illorum animas ad deos, non ad homines pertinere, et, quae Diti debebantur, detineri non posse, sed ocius ipsi tradendas existimabant. Qui magistratum sine prouocatione creaseret, eius caput Diti sacrum haberet, eum ius fasque esse occidi, lege Valeria constitutum est. (y) Proditoris etiam caput Diti sacratum, apud DIONYSIVM HALICARNASSENSEM inuenio. (z) Qui clientibus fraudem fecerit, quos propinquis cariores habendos ex MASSVRIO SABINO intelligitur, patronus sacer ut esset, lege decemuirali cautum est. (aa) Qua re et AENEAS apud VIRGILIVM (bb) illos, quibus pulsatusque parens, et fraus innexa clienti, intra limites Ditis deprehendit. Denique solemni ritu uitris coronisque ornatos ad aram homines sexagenarios etiam Saturno immolatos, ex illo OVIDII (cc) discimus:

Corpora post decies senos qui credit annos.

Missa neci, sceleris criminis damnat auos.

Fama uetus, tunc, quum saturnia terra uocata est,

Talia fatidici dicta fuisse senis:

Falcifero libata seni duo corpora, gentes,

Mittite, quae Tuscis excipiuntur aquis.

Donec in haec uenit Tirynthius arua: quotannis

Tristia Leucadio sacra peracta deo

## V

Non difficile est suspicari, malum genium sapientissimas gentes uel Abraami, uel Iephthae exemplo, uel illo-

B

rum

(x) ALEXAND Genial. Dier. III, c. XXII, et Lib. VI, c. XIII

(y) LIVIVS III, LV

(z) Lib. II, pag. LXXXIII

(aa) apud GRAVINAM de Origin. Iuris Tab. VII, p. CCLXXVIII  
de Massurio uid. GELLIVM, V, c. XIII

(bb) AEn. VI, u. DCVIII

(cc) Fastrorum lib. V fere sub finem

rum obtentus, quae de filiis maximo natu diuina lege constituta erant, ad prauam et sacrilegam imitationem excitasse. Sed tantum abest, ut sanctissimo legislatori, ipsius humanae uitiae auctori, illa probata fuerint, ut audeam affirmare, hominem, qui DEO recto immoletur, esse omnino neminem. DEVIS imagines et symbola, non hominum capita, depositit. Sacer erat DEO et decimus quicque et maximus natu filius, sed, is ne maectaretur, DEVIS seuerissime prohibuit. Aliquo tempore praeceperat Abraae, ut filium interficeret: praeceperat autem, omnibus ostensibus, maioris ab Abraamo DEVIM, quam filium, fieri; ipsi facinori tempestue refitit, ne qua consecratione hominum uidetur oblectari. Iephthae uirginis immolatio non auctoritati diuinae, sed herois temeritati debetur, et omnino habet uitium: quamuis filia Iephthae non occisa, sed in numerum sacrarum uirginum relata esse, praeceps interpretibus uideatur. Erant pro hominibus pecora trucidanda, ut pater exemplo hirci, qui, in deserta loca missus, omnium criminum reus agebatur. Sic aries Isaaci uicem sustinuit. Sic agni paschalis sanguis, pro capitibus Israelitarum effusus, feralem et praeconem et poenae publicae exactorem atque administrum aditu aedium prohibuit. Constitutum quoque fuit, uiliora pro dignioribus dare. Hinc pecunia frugum loco pecorumque fuit: hac tamen lege, ut pondus argenti ex quinta parte maius esset pretio rerum sacrarum. Quod siebat, ut libido redimenti sacra coerceretur. Leuit. XXVII, xxvii et xxxi. Et quis nescit, DEVIM uehementissime commotum esse, quum pueri darentur Molocho? Videtur autem cum Molocho aptissime contendi posse Saturnus. Namque sine dubio nugati sunt Phoenices, qui Saturnum cum Israele compararunt.

(dd) Neque id mihi quisquam persuaserit, Abraamum pro

(dd) apud EUSEBIUM in Praepar. Euang. Lib. I, f. XXVI, ed. Lutet,  
oo 10 XXXXIII

pro Saturno acceptum esse, quod fere iudicat VOSSIVS.  
 (ee) Enim uero dispar est utriusque ratio. Abraamus filium suum, eundemque unicum, sacrificare iussus erat. Saturno nihil tale obtigit. Illi uero immolati sunt filii aliorum, non secus, ac de Molocho memoriae proditum est. Saturno statua aenea posita a Carthaginiensibus fuit, quae imaginem manus supinas in terram protendentis, puerosque in uoraginem ardentes incidentes exhibet. (ff) Quae omnia cum illis conueniunt, quae de Moloch enarratores antiquitatum suppeditant. Facile exinde colligimus, tanto grauius in illo sacro ab gentibus peccatum esse, quanto studiosius in illo faciendo occupari uidebantur

## VI

Sed tam foeda supersticio, quum mitescerent et remendatio  
 etioribus artibus informarentur ingenia ciuium, proscripta  
 ab Hercule facta  
 pra est. Herculis admonitu in primis, qui cruentam reli-  
 gionem et turpem hominum consecrationem, quantum in  
 ipso fuit, passim abrogauit, et Busiridem, illi super-  
 stitioni deditum, cum facerdotibus clava interemit. (gg)  
 Ille regis Geryonis boues auctoritate Eurysthei in conti-  
 nente terra, quae circa Ambraciam et Amphilochos est, ab-  
 ripuit, abreptosque abduxit Mycenas. (hh) Quo tempo-  
 re Italos hac dira consuetudine interdixit. Negauit, illos  
 affecatos uim diuini responsi. Saturno φῶτα exhiberi de-  
 bere, oraculo editum erat. Sed φῶτα, a φῶς, lumina di-  
 cimus: φῶτα etiam, a φῶς, quarto casu singularis numeri  
 B 2 uirum

(ee) de Theol. Gent. Lib. I, c. XVIII, p. CXXXXIII

(ff) EVSEB. Praep. Eu. Lib. IIII, f. LXXXX VI

(gg) HYGGIN. Fab. XXXI

(hh) ARRIANVS de Expedit. Alex. p. CXXVI

uirum appellamus. Non obscura interpretatio erat, Dodonaeum oraculum non viros comburendos, sed lumina accendenda, imperasse. Non aliter *κεφαλας* Diti sacras disputauit. *κεφαλαι* in domestica significatione capita dicuntur. Verum si homines necaueris, non solum caput, sed omne simul corpus, corruptitur. Quod opinioni diuinae resistit. Sed Pelaſgi aedificarunt facellum Diti. Huic paruo loco exiguum ornamentum deet. Requirunt ergo icunculae seu oscilla, quae caput humanum non sine artificio referant. Ista oscilla si Ditis honori tribuerint, in eiusque aede reposuerint, amplius ad cultum, censem Hercules, pertinere nihil.

## VII

argumentis  
quaes  
funtur  
personis  
deorum,  
Saturni  
maxime Haec talia quum docet Argiūus, prorsus non inconfirmata, p̄tit. Quanquam enim suus cuique deo honos est, tamen non frustra hi praefertim dīi ab oraculo commendantur. Nam Pelaſgi, quis neque mos, neque cultus erat, neque iungere tauros, aut componere opes norant, aut parcere parto, (ii) habuerunt, cur tria disserent, uidelicet, ut iudicio ualeant, agros colerent, opesque colligerent. Haec autem omnia diuinis beneficiis impetrantur. Et quidem Phoebus sapientiae, Saturnus agriculturae, Pluto diuitiis credebatur praecesse. Istoſ igitur praecipue deos Pelaſgi ut digne celebrent, conuenit. Ex promam aliam caſtām, cur illorum trium deorum cultum nominatim oraculum praeceperit. Tria sunt genera hominum: alii publicam rem, alii sacram, alii domesticam, curant. Sicut igitur sua cuique generi dignitas, ita suus cuique deus est, si ueteres superstitiones audias. Sacerdotes sapientiae studiis seſe dedunt: ergo ab iis

(ii) VIRGILIVS AEn. VIII, CCCXIII

iis Apollo colitur. Penes magistratum summa debet esse prudentia consilii in regundis ciuitatibus : igitur Saturnum uenerantur, τὸν πατέρα, regumque Latinorum facile principem. Patres familias, a quibus ceteri alimenta corporis requirunt, diutinas parant: his itaque Ditis numen non male commendatur. Deos autem omnes muneribus placare par est, quibus tanto facilius gratiam inimus, quanto proprius ad officia deorum accedunt. Nam si quis eos ritore uult colere, ea ceremonia uitit, quae eorum naturae et imperio, quod gerunt, consentiat, iudice IAM-BLICHO. (ll) Qua re sicut decimae Apollini, praesidi sacerdotum, ita lumina Saturno tribuenda uidebantur. Et enim olim idonei gubernatores reipublicae lumina appellati sunt, atque hodie tralaticium est, ut, qui ciuitatibus gentibusque praeuent, illuminati dicantur, eo fere animo, ut hoc uocabulum iis deberi proprium credatur. Profecto Saturnus luminum erat consecratione non indignus. Namque, si V OSSIV M audiamus, omnes dii ratione dupli, Φορυνῶς et ισοπυνῶς, spectantur. Priore modo solem coeli, posteriore Saturnus Italiae regem referebat: utraque de causa lumina repetere ab hominibus suo prope iure uidebatur. „Saturnum enim in quantum mythicifictionibus distrahunt, in tantum physici ad quandam ueri similitudinem reuocant. (mm) Est auctor temporum, et ideo a Graecis, immutata litera, χειρός quasi χείρος uocatur. „Quid aliud, nisi sol intelligendus est, quomodo tradatur ordo elementorum, temporum numeroſitate distinctus, luce oblatefactus, nexus, aeternitate traductus, uisione discretus, quae omnia actum solis ostendunt. (nn) Qua re VARRO: quod coelum est principium, ab satu est dictus Saturnus: et, quod ignis saturnalibus; hoc est, cerei superioribus, mittuntur (oo)

B 3

Si

(ll) de Mysteriis, Sect. V, c. XIII

(mm) MACROB Sat. Lib. I, c. VI

(nn) ibid. cap. XXVIII

(oo) de Lingua Lat. Lib. III, pag. XVIII

et Ditis.

Si mavis ex historia Saturnum aestimare, uides etiam, omnino fuisse, cur eius honori lumina darentur. Is enim quum a Iano, primo rege Latinorum, summa liberalitate hospitiū exciperetur, duo sibi facienda putauit. Primum, ut a fero illo et rudi ante fruges cognitas noctu illos deduceret, colere agros docuit, adeo feliciter, ut huic infectiones surculorum, pomorum educationes, et omnium denique fertilium tribuerent disciplinas. (pp)  
 Deinde idem ille primus omnium Latinorum aera signavit. Quae res, a praestantioribus populis maximi temper habita, magnum ad famam Saturni momentum attulit, quod is unus non solum utilitatem incredibilem, sed etiam splendorem et decus genti Romanae comparasset. Própterea putant aliqui, lumina cerea mitti, quod hoc principe ab incomi et tenebrosa uita quasi ad lucem et bonarum artium scientiam reuocati sunt (qq)  
 De Dite pauca referam, quod illius cultus et religio facile appetat. Dis est diuitiarum deus: diuitiae uero sine labore non adquiruntur. Cui quidem tentiae repugnare uidetur SERVIVS: In monte Soracte, inquiens, quum aliquando Diti patri sacrum persolveretur (nam Manibus consecratus est) subito uenientes lupi exta rapuerunt. Quos quum diu sequerentur Sorani, (Sabini) delati sunt ad quandam speluncam, halitum ex se pestiferum emittentem, adeo, ut iuxta stantes necaret. Et inde orta est per silentia, quia fuerant lupos secuti: de qua responsum fuit, posse sedari, si lupos imirarentur, hoc est, si rapto uiuerent. Quod posteaquam factum est, dicti sunt Sorani populi Hirpini: nam lupi, Sabinorum lingua, hirpi uocantur, Sorani uero a Dite: nam Dis pater eadem lingua Soranus dicitur. (rr) Haec SERVIVS, cuius

(pp) MACROB. L. I, c. V

(qq) ibid.

(rr) ad AEneid. XI, uers. DCCLXXXV

narratio confirmatur confensione aliqua STRABONIS.  
 (ss) Sed CHRISTOPH. CELLARIVS (tt) aequē, ac  
 LIL. GREGOR. GYRALDV<sup>S</sup>, (uu) hanc fabulam rectis-  
 simē explodunt. Abhorret enim a laudata Sabinorum con-  
 tinentia. Abest etiam a moribus Ditis, qui homines uir-  
 tutis uiditate implet, (xx) bona sua laboribus uen-  
 dit, ideoque singitur, manu gestans sceptrum, pedibus tri-  
 cipitem canem conculcare. Quod indicat, in regno Ditis  
 nemini licere esse otioſo, fed fruges triplici ratione concedi,  
 proiectione, aratione, germinatione, ut quidam explicant  
 apud GYRALDV<sup>M</sup>. (yy) Dis ab oraculo Dodonaeo dicitur  
 ἀδην. Quae uox communiter ~~secentiōnēs~~ accipitur, quasi ~~et iōnēs~~  
 tenebroſus, qui nihil uidet aut cerni non potest. At hanc  
 diuinitate indignam explanationem proscriptit SOCRATES,  
 copiosissime disputans, ἀδην potius esse appellatum, οὐ πάντα  
 τὰ μαλά εἶδε, qui omnia pulchra nouit. (zz) Huic igi-  
 tur Deo, diuinarum copia affluent laboribusque humanis  
 amicissimo, Hercules sacra cupit esse oscilla. Dixeris :  
 hoc genus munerum est leue, neque satis dignum numi-  
 ne tanti Dei. Sed accipe illa, quae Mineruae, sc̄scitanti, qua-  
 re arbores steriles sibi magni Dii sumerent ? Iupiter ex  
 omnium Deorum iudicio respondit : paruo munere con-  
 tenti sumus, honore fructum ne uideamus uendere. (aaa)  
 Nam a maiestate Deorum alienum est, dona pauperum  
 ambitiosus conquerere. Pluto, cui etiam Eubulo nomen  
 est, (bbb) satis habet, exercere hominum industria. I-  
 gitur

(ss) libro V exeunte

(tt) Notit. O. A. T. I, pag. DCCCLXXI

(uu) OO' Tom. I, f. CLXXXVI

(xx) ira SOCRATES apud PLATONEM

(yy) Tom. I, f. CLXXXIX

(zz) ap. PLATON lib. XXIII de Reſta Nominum Ratione, f. CCCXVII

(aaa) uerba sunt PHAEDRI L. III, fab. XVII

(bbb) ap. NICANDRVM in Alexipharmacis, et ORPHEVM in  
Hymnis

gitur imagines, artificiose fabricatas, summa liberalitate  
animi accipit

## VIII

a Dodonaeo ora-  
culo

Credibile est, Herculem, quum haec tam ingeniose explicaret, simul oraculi praecipientis rationem iniisse. Erat enim is cultus a Dodonaeo oraculo editus, quod oraculum uel ex CASP. PEVCERI sententia Dodanum, Noae ex Iaphero nepoti, (ccc) uel, ut plerisque persuasum est, Pelasgis debebatur, Dodonae conditoribus. Id oraculum, isque locus, in summa quondam celebritate uersabatur, partim ob inuisita fontis effecta, partim ob inauditam naturam aeris. Fons non solum extinguebat faces ardentes, si quae in illum immergerentur, quae fontibus natura est, sed etiam ACCENDEBAT FACES extinctas, si procul ad mouerentur. AErei uero lebetes seu tripodes aedem Dodonaei Iouis, parietibus destitutam, hoc ordine cingebant, ut, commoto uno, ceteri MOVERENTVR OMNES, ita, ut longo demum interuallo sonus in orbem redierit. (ddd) Vnde factum est, ut loquaces et garruli Dodonaeum aes sonans tam communii prouerbio, quam a Paullo, Graecarum antiquitatum peritisimo, 1 Cor. XIII, 1, appellarentur. (eee) Forte igitur Hercules illam oraculo accommodatisimam interpretationem esse credidit, cuius exemplum in ipso Dodonaeo templo deprehendebat. In illo lumina accendi, et latera machinis arte fabricatis moueri intelligebat. Eundem igitur nouis colonis cultum imperari, credibile erat. Quid? quod Apollo, quicquid Pelasgis impeditius, id Methylymnacis explicate preecepit. Iftis enim, de salute sua deliberantibus, responsum est: in-

colas

(ccc) in Comment. de Praec. Diuinat. Gener. p. CCXXII sqq.

(ddd) SVIDAS in uoce Δοδωναῖον

(eee) confuli potest IO· HENR· MAIVS Fil. Observ. Sacrar. Lib. I.  
pag. XXX. lq.

colas Methymnae multo melius habituros esse, si LIGNEVM seu coriaceum CAPVT Bacchi colerent. (fff) Cultus uero, quo Methymnaei Bacchum uenerabantur, quia nascitur in ea urbe uinum generosum, a Pelasgis debebatur Diti, socio Saturni et Italicae regionis Deo

## VIII

Sed mitto haec, ne uidear nimium dedisse conjectu-  
ris, quibus tamen ibi locus est, ubi nihil certi reperitur,  
res autem apparere non possunt, earum nisi ratio explicata  
fuerit. Id certum est, multas gentes ab immani cultu  
desciuisse, et sicubi humanae uictimae Diis deberi uide-  
bantur, Deorum uoluntati, subrogatis in hominum locum  
aliis rebus, atque imaginibus quibusdam substitutis, esse  
obsecutas. Sicyonii cum humanis capitibus Ditem olim  
placassent, postea sterilibus pecudibus et iuencis, uel  
vino, melle, lacte et sanguine Diti, teste ALEXANDRO,  
sacra fecerunt. (ggg) Romani, quum uer nouum Diis  
uouebant, quidquid ex sibibus, ouibus et agnis, inter Ka-  
lendas Martias et Idus Maias, apud quemque natum edi-  
tumue fuisset, pueros quoque et puellas haud dubio uoto  
contineri crediderunt. Sed quia immolare eos turpe  
uidebatur, adultos uelabant, uelatosque extra fines exige-  
bant, quo piaculari sacro liberi religione credebantur.  
(hhh) Agamemnon, quum, Iphigeniam filiam ut Diis  
consecraret, responso uatum imperatum esset, cerua pro  
ea defunctus est. (iii) Et quum olim, animas defunctorum  
humano sanguine placari, creditum esset, captiuosque uel  
malo ingenio seruos mercati in exequiis trucidassent, po-  
stea placuit, impietatem uoluptate et spectaculo adum-  
brare: hinc gladiatores ante sepulcrum diuicare iusserunt,  
qui hinc BUSTARI diiti sunt. (kkk) Denique, quum ex  
Apollinis responso Laribus ac Maniae Deae capitibus sup-

C

pli-

<sup>ab</sup>  
Romanis  
accepta.

(fff) THEODORETUS X ad Graecos,

(ggg) Genial. Dier. V. XXVI. p. CCCLXI

(hhh) Alexand. I. c. III. XXII. p. DCCCVII

(iii) uid. pluribus hoc edifferentem EDWARD A ZVRCK ad Horat. Sat. L II Sat. III. u. CXCVIII p. CCCCVII

(kkk) TERTVULLIAN de Spect. Cap. de Munere, apud KIRCHMANN de Funeribus L. IIII c. VIII. p. DCX

plicandum pro capitibus esset, et pro familiarium salute pueri, auctore TÄRQVINIO, mactati essent, L. Junius Brutus allii et papaueris capitibus fieri sacra uoluit, ut et scelere pietas uacaret, et Deorum uoluntati, dedicatis capitibus, pareret. (lll) Hercules etiam hominum simulacra pro numero sociorum, quos in peregrinatione casu amiserat, in aminem demisit, ut, secundo fluvio in mare deuecta, patrii sedibus pro ipsorum corporibus redderentur. Ita se defunctum pietate sua credit. (mmm) Hinc fere usus simulacra fingendi inter sacra mansit (nnn)

## X

Quoquo modo effectum sit, exploratum est illud, Herculem ut pristinum morem desereret, populo facile persuasisse. Abstinuerunt a consecratione hominum adeo, ut postea etiam instituta Druidum uehementissime detestarentur, ideo potissimum, quia homines mactabant. (ooo) Ducti etiam poenitentia pristinae crudelitatis, cauerunt legibus, ne quis diebus Saturnaliorum bellum sumeret, neue a nocente poenas exigeret. (ppp) Ad haec Carthaginensibus notam turpitudinis inuollerunt, qui auctores fuerant Alexandro, ut ingenuus puer Saturno immolaretur. Quod SACRILEGIVM uerius, quam sacrum, Carthaginenses a conditoribus traditum, usque ad excidium urbis sua fecisse dicuntur: ac nisi seniores obstriverint, humanitatem DIRA SUPERSTITIO uicisset. Quae uerba sunt Q. CVRTII. (qqq) Apud Romanos post Herculis emendationem mos per Saturnalia militandis cereis coepit, ut narrat MACROBIVS

## X

Iussi in genere lumina accendere, cur cereis potissimum utuntur? Nempe Graecorum aequa, ac Romanorum moribus cerea uisu uarius fuit. Ceram solebant, praeter

(lll) MACROB. Saturn. I. c. V

(mmm) OVID. Faft. L. V. uerf. DCXXII

(nnn) MACROB. Sat. I. c. VI

(ooo) teste SVETONIO, aliis. v. C. S. SCHVRZFLEISCHII Dissert. de veterum Institutis Druidum, Vitt. MDCXCVII hab.

(ppp) MACROB. I. d.

(qqq) L. III. c. III

Saturno  
cereos de-  
derunt

ter alia, nauibus illinere, ut cariem et putredinem ab illis prohiberent. Testis est OVIDIVS passim, et item LVCA-NVS. (rrr) Ad cereos etiam funera, praesertim acerba, efferebantur, quod SENECA memoriae prodidit. (sss) Quibus de caussis, Saturno consecratos esse cereos, arbitror,

A) ut nauis Saturniae memoria coleretur. Is enim, classe adiectus, Ianum Italosque optimis artibus formauit. Certe nauis Saturni in magno habita est pretio. Janus aera signauit, in quorum altera parte Saturni effigies, in altera nauis apparebat, eodem fere instituto, quo hodieque Romanus pontifex nauem Petri in sigillo piscatorio exprimit. Et pueri in alae lusu, quin denarios in sublime iactant, solent exclamare: capita aut nauim (ttt)

B) Deinde cerei accenduntur, ut, quo Saturnus numero, quo loco sit habendus, doceatur. Saturnum enim si accipias phylaxe, cum Macrobo ad superos, si historice, ad inferos deos referes, Graecis et Romanis testibus. (uuu) Est enim ab Ioue tenebrosa in tartara missus, ut OVIDIVS canit. (xxx) Quorum uerborum uim non satis assecutus esse uidetur SABINVS, qui, tartara pro summa parte coelorum posita esse, facilius scribit, quam probat. Iustus LIPSIVS eam opinionem ualuisse credit, quia triste est Saturni sidus et maleficum, quale ingenium deorum inferorum solet esse. Quod iudicium de Saturni sidere, cui etiam Plinius gelidam naturam tribuit (yyy), in medio relinquo: quanquam maleficos deos omnino negat FICINVS, (zzz) et speciatim saturnium sidus ab hac mathematicorum iniuria defendit IAMBlichVS. (a) Non dum uero adduci possum, ut credam, ideo Saturno sedem

(rrr) Vtriusque testimonia collegit IOANN: FAES de Cereis Baptismalibus ueter. Christian. p. CLII

(sss) apud IO: KIRCHMANNVM de Funer. Rom. L. II, c. III

(ttt) MACROB: p. CII

(uuu) excitatis ab I: LIPSI: Serm. Saturn. f. DCXCV

(xxx) METAMORPH. I, u. CXIII.

(yyy) H. N. f. IIII.

(zzz) in praefat. ad PLOTINVM

(a) de Mysteriis, Sect. I. c. XVIII

inferam tibi. Praestat, audire historicos: non eos quidem, qui, omnem de Saturno fabulam Noae uita expressam esse putant. Sicut enim (dicunt) Noa tres filios, ita Saturnus habuit. Noam minimus natu filius Chamus, Saturnum Iupiter laesit. (b) At Noa a filio affectus oppobrio, non regno pulsus, multo minus in tartara missus est, quod de Saturno multorum est sermonibus diuulgatum. Quid impedit, quo minus existimemus, Saturnum fuisse regem Graecorum de gradu deiectum a Ioue, propterea se consultisse in Italiam, in qua obiit. Profecto tumulum Saturni in Sicula terra, et Iouis antrum in insula Creta conspicuum esse, comprobat ARNOBIVS, idemque ex NEPOTIS et CASSII, THVLLI et DIODORI historia exilium Saturni, Creta profugi, confirmat. (c) Est flumius Italiae in regione Veronenfi, qui dicitur Tartarus a TACITO. (d) Vnde colligas, Saturnum dici missum in tartara, quia uenit exul in Italiam. Si maius interpretari, ut plerique, de loco subterraneo, etiam apparet, Romanos non imprudenter eundem honorem, quem mortuis, mortuorum deo Saturno tribuisse, quum eius honori cereos et alia lumina dedicarent, eiusque simulacrum oleo Romae implebant (e)

## XII

Oscilla  
Diti

Ditem, qui cum Saturno deus erat inferorum, non adeo dissimili ratione uenerantur, ab Hercule erudit. Non capita uiua, sed efficta offerebant, quae oscilla uideas a MACROBIO nominari. Fuerunt autem oscilla seu imagines a pictoribus, architectis, tornatoribus, figuris, aliisque opificibus ex ligno plerumque idoneo, ex meliore luto, ex argento, ex alia materia, concocta, quae deorum, hominum, bestiarum, uiua ora et capita referebant, atque uel ad deorum culetum, uel ad aedificiorum ornatum, uel ad amicorum oblectationem pertinebant. Oscilla Iac. Phil. TOMASINVS putat ossa fuisse, in quibus oculi erant insculpti,

(b) Vid. Franc. POMEY Pantheon Mythic. p. CXX

(c) ARNOBIVS aduers. Gent. L. IIII, f. CLXXVIII. cum quo consentit TERTVLLIANVS in Apologet. c. XI, f. lo CCLXXVIII

(d) Histor. III, IX. II

(e) PLINIVS H. N. £. DXXVII

pti ut hodie in tesserculis. *f)* At lab offe sit officulum, PLINIO auctore et GELLIO, non oscillum. IVNIVS PHILARGYRIVS mault ab Oscis deriuare, qui hoc lusu oscillorum frequenter usi sunt, et per Italiam morem sparserrunt. *(g)* Ad quam sententiam, quum nondum confirmata sit, accedere non possum. Rectius ab osculo fit oscillum, uti a baculo bacillum: si argumentatur Christian. BECMANVS. *(h)* At sola analogia ipsum non defendit. Dicam paucis, quod sentio. Antiquum est uerbum cilleo, a cieo factum, quod significat idem ac moueo. Quum igitur omnis oscillorum ratio in motu consistat, duce ADRIANO IVNIO, Cl. SALMASIO, atque in primis G. J. VOSSIO, oscillum a cillere profectum esse, putamus, nihil impedientes, ab os malis, an a uocula ob, alteram uocabuli partem arcessere. *(i)* Ista uero oscilla indicant motum uerorum corporum uel effectorum. COLVMELLAE locus, qui secus docet, dubius admodum est. *(k)* Quum pueri, fune, altrinsecus de tigno uel arbore, religato, in aere librati uehuntur, dicitur id ludi genus oscillum, et iactatio per funem oscillatio. Quum elaborantur membra uel deorum, quae moueantur a uento, ea membra oscilla appellantur, ut supra dictum est; uel hominum bestiarumque, quae moueantur manu ludentis pueri. Oscilla haec sunt, quae diebus praefertim Saturinalibus a rusticis donabantur, puerisque delectationi erant. Vnde EVANGELVS: Sigillaria lusum repetanti adhuc infantiae oscillis fictilibus praebent. *(l)* Sed haec uiliora sunt, neque in magna celebritate uerantur, pleniusque cognoscuntur ex altero imaguncularum genere, cui Sigillaribus nomen.

## XIII

A Signo Sigillum, inde Sigillaris, e, Sigillaria gigni, Quibus ceno dubitat. Vox sumitur aut proprio pro icunculis celebratoriis, aut improprio et ~~per rumpendis~~ pro loco uel tempore, fuerunt istis gillaria.

C 3

*(f)* de Donariis ueter. c. XXVII

*(g)* in Not. ad Virgil. Georgic. L. II. u. CCCXXXXVIII

*(h)* de Originibus Latinae Linguae p. CCCXXXIX, VI

*(i)* VOSSI Etymologic. sub uoce Oscilla.

*(k)* Is lupinorum oscilla (alii aliter legunt) commemorat

*(l)* ap. Macrob. Saturn. I. VI

istis icunculis dato. Accepta sigillaria in domestica significatione sunt imagunculae, ex auro, argento, ligno, aliaue materia confe&tae, quae originem ab Herculea explicative Dodonaei oraculi, usum Saturnalibus diebus habuerunt. Quidam existimant, sigillaria expressisse Deos hominesque, tantum humeros tenuis. Hi uero audiant ARNOBIVM, qui aduersus gentes, sigillaribus dele&tatas, ita disputatione: Ab&linetis a risu, quum pro diis immortalibus sigilliolis hominum, et formis supplicatis humanis? Quin imo deos esse sigillaria ipsa censentis, nec praeter haec quicquam uim creditis habere diuinam. Quid dicitis, o ifi? ergone dii coelites habent aures et tempora, ceruices, occipitum, spinam, lumbos, latera, poplites, nates, suffragines, talos, membraque alia cetera, quibus conseruati nos sumus? Et paucis interiectis: Vique adeo, inquit, ludus est et puerilis affectio, sigillaria ista formare, adorare pro Diis ea, sanctitatibus accumulare diuinis, quum ipsos uideamus artifices in effingendis his ludere, et libidinum propriarum monimenta fancire. Hactenus ARNOBIVS <sup>m)</sup> Potissimum ea sigillaria commendauit hinc motus, hinc sonus. Sonum quidem rarius sigilla ediderunt; quod uel per tubum cochlearium praestari Arthan. KIRCHERVS, <sup>n)</sup> uel per tubum plumbeum fieri, Io. Baptista PORTA docet. <sup>o)</sup> Saepius ob motum admirabilia sunt uisa: qui motus uel nervis et fidelibus, uel naturali ui magnetis ad mouendum ferrum, uel uolubili natura argenti uiui excitatur. Idcirco laudat is, qui adscito ARISTOTELIS nomine de Mundo scriptis, <sup>p)</sup> ea sigillaria, in quibus filum membra, quod in ligneis hominum figuris gestus mouet, trahitur: hinc torquetur ceruix, nutat caput, oculi uibrant, manus ad ministerium praefecta est, nec inueniunt totus homo uidetur uiuere. Quo factum est, ut sigillaria *reverberata*, tornatores autem ceterique artifices *reverberatae* dicentur ab LVCIANO. <sup>q)</sup> Rerum harum imperitis persuasum erat, omnia ea simulacula uocalia, nu-

tan-

(m) aduers. Gent. L. VI, f. CLXXXVII, ed. Parif. &amp;c. I. LXXX.

(n) in Arte Magna Conson. et Disson. L. VIII, P. III, c. III.

(o) Magiae Natural. XVI, XII.

(p) que de re I. C. SCALIGER de Subtilitatibus, Exercit. CCCLXII. R. MCXII. disputat.

(q) de Dea Syria.

tantia, sudantia, ab arte magica aut diabolica profici. Quorum aduersus ineptias disputat humanissimus Vpsaliensis historicus, Edmundus FIGRELIVS in libro singulari de Statuis Illustrium Romanorum. <sup>r)</sup> Sola igitur praestantia differebant sigillaria ab oscillis: forma similis, et usus utrumque idem erat. Malebant ergo sigillaria, quam oscilla, dare: neque enim eos fugiebat, omnem hanc religionem elegantiae causa institutam esse. Ad haec Saturnus pater superare Ditem filium credebatur dignitate. Quum itaque uterque deus in tartaris esset, ista facrorum mutatio facta est, ut Saturno sigillaria multo frequentissime darentur, et si oraculum oscilla Diti sacra esse uoluerat. Ceterum, siue oscillorum, siue sigillarium, duo fuerunt genera: alia ipsos deos, alia res creatas referebant. Illis utebantur, ut Deos benignos honorarent: his, ut Deos iratos flechterent. Prioris generis exemplum legas apud Iac. Phil. TOMASINVM, qui obseruat, uinitorum consuetudinem ita tulisse, ut imagines nunc fictiles, nunc ligneas, Baccho similes, ex arboribus suspenderent, quas ab ore patentissimo OSCILLA dicebant. <sup>s)</sup> Horum tantam credebant esse uim, ut, quoties uento ex Numinis decreto agitata se ad uineam conuerterent, toties uineae fertilitatem augerent, quod ex Virgilio discimus. <sup>t)</sup> Constat etiam Mercurii sigillum artificioissime confidendum fuisse, propter uarietatem negotiorum, quibus ille praeerat. Vnde natum prouerbiu[m]: Non ex quo[u]is ligno fit Mercurius: quo PYTHAGORAS identidem est uisus. <sup>v)</sup> Taceo plura deorum simulacra, quae nemini obscura esse, reor. Iam actate Jacobi, Rahel furata esse dicitur simulacra deorum Labani, quae inter oscilla retuleris, si audias R. Elieser, qui docet idoli istius fabricandi hanc rationem: Obtruncarunt hominem, caputque abicissum condierunt sale et aromatibus, et laminam auream, inscriptam nomine spiritus impuri, capiti supposuerunt in muro, succensisque coram eo cereis adorarunt. <sup>w)</sup> Et occasionem quidem simulacra diuina fabricandi exinde accepisse uidentur, quod hominum figura Deus appareret, et de se lo-

(r) c. III. p. XVIII. (s) de Donaris Veter. c. XXVII. excunte. (t) Georgic. II. 398. sqq. (v) uid. APVLEIVS in Apolog. p. 302. (w) ap. Thom. GOODWIN. Mos. et Aar. L. III. c. q. S. 3.

queretur; uti persuasum est POLYDORO VERGILIO.<sup>x)</sup> Quanquam Deus, simul ac gentiles censuerunt, Deos ipsa esse sigillaria, imagines diuinis feuerissime prohibuit, neque Iudaei, ullum in templo Hierosolymitano exemplum tulerunt; quod JOSEPHVS asseuerat.<sup>y)</sup> Secus fiebat ab gentilibus, quorum templa magno imaginum diuinarum numero superbiebant; qua de re IOSEPHVS contra Appionem uehementissime disputat. Augebat enim opprobrium deformitas sigillorum, quae, uariis coloribus distincta, monstris, non diis, similia uidebantur, propterea, quod pictores, AEgyptiorum incitatione corrupti, graphides erant negligentes: quos false ridet VITRVVIVS.<sup>z)</sup> Neque de iis honorificentius SENECA sentit: Numina uocant, inquiens, quae si spiritu accepto subito occurrerent, monstra haberentur <sup>aa)</sup>

Praeterea oscillis ad expiandos inferos deos utebantur. Quum enim Pontificio iure ii), qui sibi mortem concierant, sepultura prohiberentur, neque illis iusta fieri oportet, suspensis oscillis, quasi per imitationem mortis, libebat parentare: quia forte credebatur, coelum posse adiri per oscillationem, uelut imaginem quandam uitiae humanae, in qua altissima deorsum ruunt interdum, et infima ad summum efferuntur. Pontificum etiam decreto cautum erat, ut, si ab exercitus duce Diis manibus quispiam deuotus et consecratus esset, neque is in acie cecidisset, Ditis placandi causa, signum septem pedes altum (erant enim oscilla palmitalia et cubitalia) in terram defoderetur: quod repetit ALEXANDER ab ALEXANDRO.<sup>bb)</sup> SERVIVS etiam oscilla credit genus esse purgationis, aeris maxime. Quam rem latius persequitur Iac. GVATHERIVS de Iure Manium.<sup>cc)</sup> Habes sigillaria, diti sacra. Vis eorum auctoritatem? Audi philosophum: haec omnia, inquietem, laiens seruabat, tanquam legibus iussa, non tanquam diis grata. <sup>dd)</sup>

(x) de Rer. Inuentor. L. II. c. XXIII. (y) Antiquitt. Iudd. L. XVIII.

(z) L. VII, c. I. consule If. Vossii Observations in Catullum p. 197.

fqq. (aa) in fragmentis, collectis ab Iust. LIPSIQ, Electorum L. II,

c. XVIII. (bb) Genial. Dier. L. III. p. DCCCXVII. (cc) L. I. c. VIII.

(dd) uerba sunt SENECAE in Fragmentis 1. d.

p. 5, lin. 19, pro *persuas.* leg., *persuasum habentes* p. 8, lin. 21, pro *amplissima*  
et *confecta*, leg. *auamplissimas* & *confectas*.





Wittenberg, Diss., 1727 A-50



Sb.



B.I.G.

Farbkarte #13

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



Q' B' F' F' Q' S  
DISSERTATIO CRITICA

DE

# SIGILLARIBVS DITI SACRIS

QVAM

PRAESIDE

CHRISTOPH· LVDOV· CRELLIO  
I V D ET POET PROF PVBL

IPSIS KL OCTOBRIBVS 80 Icc XXVII

H L Q S

PVBLICE EXPENDENDAM  
PROPONET

AVCTOR

M IOANNES GOTTFRID HOERIVS

NAVMBVRG MISN

ACAD VITEMB BIBL

VITEMBERGAE

EX OFFICINA GERDESIAE VIDVAE